



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. VVernherus M. 19. Aprilis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

19. April. VITÆ SANCTORVM. 201
exinde cum militibus, quibus hæc miracula fi-
dem fecerant, fornacem coniectus, altero mane
loqui reperitur PHILIPPÆ matri, quæ triennio
antè captiva abducta, ad preces filii per Ange-
lum tum erat reducta. Advolat igitur tyrannus,
milites hastâ transfigit, matrem capite multat,
THEODORVM ipsum in crucem agit. Sed ille
post tot victorias, non petiisset aliud trophæum.
Ex Menais.

*Non est patiendum, ut assidua de Deo cogitatio ex
animis nostris elabatur; agendumque assiduè, ut ex
perpetuâ recordatione impressam cordibus nostris piam
de Deo cogitationem, velut indelebile signum circumfe-
ramus. S. Bas. in Reg. fus. disput.*

S. VVERNHERUS M. 19. Aprilis.

WERNHERVS rustica, ex Trevirensi agro, pro-
genies, egenis comparcebat paratum diurno
labore obsonium: vitrici asperitatem, ipse tam
miti ingenio, fugere coactus, in opiliones haud
paullò mansuetiores incidit; nam & mapalibus
fugientem, & esurientem cœnulâ exceperunt,
quibus ne oneri foret hospes asymbolus, defixo
humi bacillo, novum è terrâ fontem salire iussit: à
Pastoribus digressus in feras incidit; annum enim
agentem XIV. Judæi adhuc Christi in Christianis
sanguinem sitientes, capite prono columnæ alli-
garunt, S. Hostiam ab ore repetituri: loris deinde
ac ferro per omnia membra crudelissimè grassati,
satis docuerunt quàm longè Apellæ omnem hu-
manitatis sensum abjecerint: nam etsi triduo in-
ter tormenta exacto, omnium opem ac commi-
serationem exposceret, eam tamen neque apud ju-
dicem argento corruptum reperit, inter acerbissi-
mos

mos cruciatus id unum habiturus solatii, quod pendens demum ad exemplum Christi animam efflavit. Cadaver ejus in speluncam abjectum est. ne à Judæis, sed feris laniatum credi posset; jussu nihilominus ei Cælum persolvit, multâ face circum cadaver accensâ, quæ VVERNHERI innocentiam & Judæorum crudelitatem detexit. *Ex Suri.*

Ad cælum respice, brevissima hujus vitæ terminus tibi ante oculos pone; & cum quo de villicatione tuâ rationem ponere debeas, sollicitus meditare. Quid enim proderit hodie auro & gemmis contegi, si cras contingat nudum & reum ad inferni supplicia pertrahi. S. Pet. Damian. l. 7. Ep. 15.

SS. Sulpitius et Servilianus MM.

20. Aprilis.

Rursum te ad nuptias invitamus, sed (quemadmodum semper factum est) Agni; quin imò, si lubet, ad choreas etiam, non quidem ut ducas, sed ut spectes, simulq; illud etiam fatearis, verum dixisse, qui ferè ebrios & insanos saltare dixit. Ecce Sulpitio Euphrosyna, Serviliano Theodora despondetur, & Aureliano Consulii filio Domitilla promittitur. Jam quatit Hymenæus faces, jam locus, jam amor ridet, mox lacrimas daturi. Nam interea Domitilla Euphrosynam & Theodoram familiares suas Christo conciliat, hæ verò eidem sponfos etiam suos, admittente iterum Domitillâ, dum ejus operâ Christum videt cæcus, & mutus loquitur. At nimirum interea solus Aurelianus cæcutit, solus hic non sana loquitur. Quin adeò tibicines jam solus conducit, & pede frequenti terram pulsans in exitium suum jam pridem Orcum laborat evocare. Jamque duos
omnino